



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

408. De ordinatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

186 REGINONIS LIB. I.
bus Romanis, integra & plena libertas.

Quòd carta libertatis in ambone sit legenda.
Ex Concilio Triburiensi.

Burchard. lib.
2. c. 21.

CCCCVII. Ut nulli de servili conditione ad sacros ordines promoveantur, nisi prius à dominis propriis libertatem legitimam consequantur; cuius libertatis carta ante ordinationem in ambone publicè legatur; & si nullus contradixerit, rite consecrabitur. Porrò si de gradu deciderit, ejus sit conditionis cuius fuerat ante gradum.

Caput istud non extat in vulgatis editionibus Concilij Triburiensis. Extat autem etiam apud Burchardum & in veteri collectione canonum MS. in bibliotheca regia. Postrema porrò illius pars, quæ mutila est apud Reginonem, sic supplenda est ex Burchardo & veteri illa collectione. Porrò servus non canonicè consecratus, postquam de gradu ceciderit, ejus sit conditionis cuius fuerat ante gradum.

De ordinatione. *Ex Concilio Neocæsariensi.*

Concil. Neocæsar. c. 11.
Lib. 1. Capitular. c. 50.
Burchard. lib.
2. c. 10.

CCCCVIII. Presbyter ante trigésimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licèt valde sit dignus, sed hoc tempus observetur. Nam Dominus noster trigésimo ætatis anno baptizatus est.

De Diaconibus. *Ex Concilio Carthaginiensi.*

Concil. Carthag. 3. c. 4.

CCCCIX. Item placuit ut ante xxv. annos